Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26830
Copyright: Admont, Benediktinerstift

diabolus maxime dominari sacris litteris edocetur. profecto ista est mag
na differentia qua ciuitas utraque de qua loquimur discernitur. una scilicet soci
etas piorum hominum altera impiorum. singula quaeque cum angelis ad se pertinen
tibus. in quibus praecessit hac amor dei. hac amor sui. Manifesto ergo apertoque
peccato ubi factum est quod deus fieri prohibuerat. diabolus hominem non cepisset.
nisi iam ille sibi placere coepisset. Hinc enim et delectauit quod dictum est.
Eritis sicut dii. Quod melius esse possent summo ueroque principio cohaerendo
per oboedientiam. non suum sibi existendo principium per superbiam. Dii enim creati
non sua ueritate sed dei ueri participatione sunt dii. Plus autem appetendo
minus est. qui dum sibi sufficere delegit. ab illo qui ei uere sufficit deficit.
Illud itaque malum quo cum sibi sufficere delegit homo placet tamquam sit et ipse
lumen. auertitur ab eo lumine quod ei si placeat et ipse fit lumen. Illud inquam
malum praecessit in abdito. ut sequeretur hoc malum quod perpetratum est in aperto.
Verum est enim quod scriptum est. Ante ruinam exaltatur cor. et ante gloriam humiliatur.
Illa prorsus ruina quae fit in occulto. praecedit ruinam quae fit in manifesto.
dum illa ruina esse non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat. cum iam
ibi sit defectus quo est relictus excelsus. Quis autem ruinam esse non uideat. quando
fit mandati euidens atque indubitata transgressio. Propter hoc deus illud prohibuit.
quod cum esset admissum nulla defendi posset imaginatione iustitiae. Et audeo
dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum unde sibi [displiceant. qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim petrus sibi]
displicuit quando fleuit. quam sibi placuit quando praesumpsit. Hoc dicit et sacer psalmus.
Imple facies eorum ignominia. et quaerant nomen tuum domine. id est ut in eis
placeas quaerentibus nomen tuum qui sibi placuerunt quaerendo suum. Sed est peior
damnabiliorque superbia qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusatio
nis inquiritur. sicut illi primi homines. quorum et illa dixit. serpens seduxit me
et manducaui. et ille dixit. Mulier quam dedisti mihi haec mihi dedit
a ligno et edi. Nusquam hic sonat petitio ueniae. nusquam imploratio medicinae.
Nam licet isti non sicut cain quod commiserunt negent. adhuc tamen superbia in ali
ud quaerit referre quod perperam fecit. superbia mulieris in serpentem. superbia
uiri in mulierem. Sed accusatio potius quam excusatio uera est ubi mandati
diuini est aperta transgressio. Neque enim hoc propterea non fecerunt quia id
mulier serpente suadente. uir muliere impertiente commisit. quasi quicquam
deo cui uel crederetur uel cederetur ante ponendum fuit. Quia ergo contemptus est deus iu
bens qui creauerat. qui ad suam imaginem fecerat. qui ceteris animalibus prae
posuerat. qui in paradyso constituerat. qui rerum omnium copiam salutisque
praestiterat. qui praeceptis nec pluribus nec grandibus nec difficilibus onerauerat. sed
uno breuissimo atque leuissimo ad oboedientiae salubritatem adminicula
uerat quo eam creaturam cui libera seruitus expediret se esse dominum commonebat.

prohibitio